



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus XL. De Consecratione Ecclesiae vel Altaris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

neceorum famulis munus quodcumque etiam sponte oblatum recipi posse, sub comminatione gravissimarum pœnarum; hodiè tamen per constitutionem Bonif. VIII *cap. felicis b. t. in 6.* in libertate est voluntate visitatorum, an in paratâ pecuniâ procurationes recipere velint, quod ipsum à Tridentinâ *sess. 24 cap. 3. de reform.* confirmatum est. Præstantiæ autem sunt ejusmodi procurationes ab omnibus Ecclesiis & monasteriis visitatis, ab illarum solutione speciali privilegio non exemptis quali privilegio gaudent ordines mendicantium per Bullam Pii V. quæ incipit *dum ad uberes.*

## TITULUS XL.

De

### Consecratione Ecclesiæ vel Altatis.

**QUÆRES 1.** Quid sit consecratio, & quomplex? Respond. Consecratio est ritus res DEO sacrandi cum adhibitione certarum solemnitatum & Ceremoniarum antiquitus ex instituto Dei & SS. Patrum introductus, quæ consecratio à proprio Episcopo fieri debet. Alia est rerum alia personarum, de prioris & quidem de consecratione Ecclesiæ potissimum præsentè titulo agimus; cum in ecclesia, id est æde divinis ministeriis deputatâ, divina peragere non liceat nisi consecrata fuerit.

**QUÆRES 2.** An consecratio Ecclesiæ reiterari possit? Resp. Semel facta reiterari non nisi duobus

bus casibus potest, si videlicet de ejus consecratione dubium oriatur, non apparente factæ consecrationis signo vel instrumento, aut ecclesia fuerit ex-crata, prout contingit quando vel incendio, vel alio modo, parietum crusta interior in qua conse-cratio facta est, vel tota vel magnâ ex parte abradi-tur, aut totum ædificium omnino destruitur; quod si parietes Ecclesiæ reparentur successivè, ita ut nunquàm major pars destructa fuerit, nova conse-cratiõne opus non est; quia sic pars nova minor ad-veniens præexistenti consecratæ, consecrata cense-tur, sicut oleum non consecratum commixtum oleo consecrato *cap. 3. h. t.* quia in his per accessio-nem magis dignum trahit ad se minus dignum.

**QUÆRES 3.** An Ecclesia polluta tantum, de novo consecrari, an reconciliari debeat? Re-spond. Ecclesia polluta tantum non consecrari de-novo, sed reconciliari debet, quæ reconciliatio fit ab Episcopo per aquam cum vino & cinere ab Epi-scopo benedictam, licet etiam à Sacerdote simpli-ci ex commissione hæc reconciliatio fieri possit. *cap. 7. h. t. can. solennitates dist. 1. de cons.*

**QUÆRES 4.** Quomodo polluatur Eccle-sia? Respond. Polluitur autem Ecclesia 1. Per sepulturam infidelis nondum baptizati, etiam in-fantis. 2. Excommunicati & publicè denunciati. 3. Per homicidium voluntariè & injuriosè aut sal-tem contra loci reverentiam factum. 4. Per insi-ctum in eâ vulnus injuriosè cum notabili sanguinis effusione *cap. vii. h. t. in 6.* unde non polluitur eccle-sia per sanguinem etiam copiosum, inflictâ alapâ ex naribus profluentem, quia nares facile sangui-nem

nem stillant. 5. Per copulam carnalem vel humerum  
ni seminis effusionem, peccaminosè factam.

QUÆRES 5. Quid requiratur præterea  
dictis modis polluatur Ecclesia? Resp. Ut ve  
ecclesia dictis modis polluatur requiritur: 1.  
actus nominati sint notorii, quia per delicta occu  
non polluitur ecclesia, non extra ejus limina, ve  
in turri, sacristiâ, vel ambitu ecclesiæ parietibus  
hærente ut tradit Sanchez de matrim. lib. 9. disput. 14.  
25. pollutâ sic ecclesiâ etiam cœmeterium pollui  
tur, non e contra. Barbo. jur. eccles. lib. 2. c. 9. num.

QUÆRES 6. An pollutâ ecclesiâ etiam  
polluantur altaria? Respond. Affirmat. Ratio  
est, quod pollutio in quocunque ecclesiæ loco facta  
totam afficit ecclesiam, & omnia in interiori e  
spatio contenta & proinde etiam ad altaria extendi  
tur. Abb in cap. consuluisti h. t. num. 10.

OBIICIES. Execratio Ecclesiæ non afficit  
altaria; ergò nec pollutio. Respond. Concedi  
anteced. Neg. conseq. consecratio enim Ecclesiæ  
ejus parietibus inhæret, altaris autem ipsi altari, un  
de unâ sublatâ altera remanere potest.

## TITULUS XLI.

De

### Celebratione missarum, Sacramento Eucharistiæ & divinis officiis.

QUÆRES 1. Quid sit missa? Respond. Est  
verum sed incruentum sacrificium, corporis  
& sanguinis Jesu Christi, repræsentativu  
cruciatu